



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. De habitu, & vestitu Clericorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

clericalibus, quia *s. Cum ab omni*. de iudicibus delegatis, qui sufficiens sustentationi beneficium habent, loquitur.

Neque tamen hæc constitutio de Iudicibus tantum à Papa delegatis intelligi debet, sed etiam de ordinariis, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus, quibus ex beneficio suo, vel ex publico, sufficiens salarium numeratur, cum sententiæ venales utroque jure prohibita sint; quin etiam Iudices ab inferioribus ordinariis, Episcopis v. g. delegati; spectato jure communi, à partibus pro ferenda sententia nullum salarium, munus, sportulas, aut xenia, &c. accipere possunt, cum ab ordinario delegante, cujus est ratione officii causas expedire, victualia & expensæ his delegatis solvendæ sint. Consulenda tamen in his, & observanda recepta consuetudo, juxta quam moderatum quid à partibus nonnunquam exigitur, quæ sæpissimè fundatur in defectu sufficientis salarii aliunde assignati.

Quartò, plura alia ad mores & honestatem vitæ Clericalis conducentia in variis hujus Tituli capitulis statuta sunt, quæ utiliter legi possunt, & utilius observantur.

§. II.

De habitu, & vestitu Clericorum.

Quod Clerici in sacris ordinibus constituti, & beneficiati, etiam si minoribus tantum initiati sint, præter coronam, sive tonsuram congruam in capite, vestem ordini Clericali convenientem deferre debeant, ob status decentiam, ex *c. Clerici* 11. *h. t. ex Clement. 2. eodem* & *ex Trident. sess. 14. c. 6. de ref. m.* patet; ex quibus juribus etiam

patet, non tantum varia genera vestimentorum, rubra v. g. vicia, linteæ, auro multo illusa, intertextæ, aut ornata, &c. prohibita illis esse, (nisi specialia privilegia, qualia Cardinales habent aliud permittant, aut necessitas ex parte sub pœna suspensionis à percipiendis fructuum Ecclesiasticorum, aut habilitatis ad Ecclesiasticum beneficium, aut amissionis privilegii fori, &c. sed etiam aliorum etiam gestationem (nisi ex officio dignitatis Ecclesiasticæ hoc illis committatur) & armorum delationem, nisi iusta causa pro sui defensione, in tantis talia licita faciat sæcularibus Clericis recepta consuetudo, quæ multa de prohibita, hodie licita facit.

§. III.

De negotijs, & exercitijs, quæ Clericis sunt prohibita.

Prohibetur quidem Clericis in genere, ut ne officia, commercia, & negotia sæcularia, maxime in hoc exercceant, in specie tamen *in c. Clerici* 15. *h. t.* prohibetur illis, ne mimi, histrionibus intendant; ne tabernaculis publicis adeant, nisi ob necessitate itinere constituti; ne aleis ludis, vel ejusmodi ludis intersint, quæ in eis fortuna, quam arte & industria ludentium reguntur, ita ut gravem pœnam incurrant de jure, si in negotijs quantitate, aut cum publico lucro ludos tales frequentent, & in *c. Clerici* 14. *h. t.* prohibetur illis, ne in templis exhibeant ludos theatralis nature honestos, & scurriles, nullâ conditione suffragante; præsertim etiam,